ASSERTIONES JURIDICÆ, INAUGURALES, DE
JURE FISCI.

QUAS,

Favente Deo Opt. Max.

Ex autoritate Magnifici D. Rectoris,

D. ABRAHAMI HEIDANI, S. S. Th. Doct. ejusdemque Facultatis in Illustri Acad. Lugd. Batav. Professoris ordinarii, Ecclesiæque Dei Pastoris disertissimi,

NEC NON

Consensu Amplissimi Senatus Academici, & Consultissimæ facultatis Juridicæ Decreto,

Pro summis in Utroque Jure honoribus, & privilegiis Doctoralibus consequendis,

Publicè sine Præside defendet

PHILIPPUS LAU, Tilsâ Prussus.

Ad diem [redacted] horisque solitis, antemerid.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM & DANIELEM ELZEVIER, Academ. Typograph.
cIↃ IↃc LIV.


KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

*Ura & privilegia fiscalia ab Advocatis fisci, eorumque officialibus & mandatariis solertissimè quidem defendenda, neutiquam tamen tam latè extendenda fisci utilitas, ut ab iis aliquid contra regulas juris & conscientiam admittatur; favor ejus magnus & immensus est, attamen, non ipsi plus favendum, quam principes boni ipsi favere voluerunt, ita moderatè se gerentes ut existimaverint sæpius rectius esse vinci fiscum, quam privatum, sicuti hujus nomine maxime laudantur M. Anton. à Capitolino, & Trajanus à Plinio*, quæ præcipua, *inquit*, tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est nisi sub bono Principe. *Idem de aliis Principibus testantur nunquam satis laudandæ leges* l. unic. C. pæn. fis. cred. præf. l. non possunt. 11. l. 12. l. 22. D. de l. Fis. *Nam ut olim sub aliis principibus grande piaculum habebatur fisco non favere, ita ejus compendium apud pios principes semper contemnitur, nimiaque ejus accessio pro dispendiosâ enormitate, & enormi dispendio habita fuit, quod egregiè notavit Iustinus minor apud Corippum* l. 2. n. 7. *de fisci laudibus in hunc modum canens.*

Quæ sua sunt capiat, quæ sunt privata relinquat,
Nec patimur quenquam sacratum lædere fiscum,
Nec lædi quenquam sinimus sub nomine fisci.

Idemque Alciat. Embl. 146. *eleganter expressit exemplo lienis, cujus crescentia inducit aliorum artuum tabem: Et, qualis quæso amor sub ditorum erit erga eos principes; in quorum judicialibus auditoriis non alia nomina audiuntur, quam in fiscalis, confiscatio &c.* Principe avaro non è durevole, *inquit Roccabella*, sudditi oppressi mancano d'obedire, e tentano la rovina, dichigli machina la morte. *De hoc jure, non obstante, quod periculosa res sit tractare principum negotia, quædam r apsodica, non rationabili sed fortuitâ methodo proponam, idque brevitate, more regionis, quâ fieri poterit.*

 I. Cum

I.

CUm fiscus semper censeatur esse solvendo & dives *l. 2. D. de fund. dot.* hinc factum est, quod Accurs. & Bart. fiscum dici putaverint quasi fixum vel firmum, vel stabilem, cui sententiæ calculum suum adjicit Peregrinus *de Iur. fisc. lib. 1. tit. 1. n. 33.* Alfaro *de off. fisc. glos. 9 n. 14.* Non errant, sed fortassis rectius sentiunt, quibus fiscus à ferendo dicitur, sicut fiscina & fiscella, teste Varron. *l. 4. de ling. latin.* Fiscus genus quoddam cistæ aut cophini viminei erat, quo deferebantur aut recipiebantur pecuniæ, vel in quibus agricolæ sua utensilia portabant. Colum. *l. 12. de re rust. c. 48.* Cicer. 2. *in Verr. reperiebam fiscos quam plures, cum pecunia Siciliensi à quodam Senatore ad Equitem Romanum esse translatos, ex his quasi decem fiscos ad Senatorem illum relictos esse comitiorum nomine.* Petr. Gregor. *lib. 3. syntag. c. 2. n. 6. & 11. & l. 31. C.* 31. *n.* 1. Bobad. *lib. 5. polit. c. 6 n. 1.* Hoc vasorum genere pecuniæ publicæ solitæ sunt deferri; & hoc ideo, quia excrescentibus pecuniis marsupia non sufficiebant; Beroald. *in Suet. Aug. c.* 15. Dorleans *ad Tac. lib. 1. annal. p.* 114. Simile quid vel idem sunt sportulæ, nummorum vel aliarum rerum receptacula, & per metonymiam subjecti accipiuntur pro ipsâ pecuniâ, quæ fisco vel sportulâ continetur. Ascon. *in Verrin. 2.* scribit sportulas esse minores fiscis, quæ Hispanis dicuntur *esportillas de cienreales*, à numero quem continent.

II.

Fiscus & ærarium quondam differebant, quia fiscus erat principis, ærarium vero populi Romani. Valenzuel *ad tit. de Iur. fisc. n.* 21. Ærarium dictum ab ære, quod collocabatur in æde Saturni, Alex. ab Alex. *genial. dier. 2. cap. 2.* Beroald. *in Sueton. Aug. c. 29.* Demst. ad Rosin. *l. 7. antiq. c.* 31. ex quo etiam pecuniæ in eo reconditæ dicebantur sacræ, quia moris erat, & privatorum res, eorumque

que pecunias in templis custodire. Lips. *ad Tac. lib.* 1. *Annal.* & Dorleans *ibid.* quibus custodiendis adhibebantur servi. *l.* 17. *D. de alim. leg.* Cum autem summa rerum in principem transferretur, Augustus statuit, ut utrumque conjungeretur. Sueton. *in Aug. cap.* 47. & ex eo promiscuè dici cœperunt, Salmas. *ad Lampr. in Diadum. p.* 175. *n.* 19. Hodie quasi abrogato nomine ærarii, fisci nomen remansit, qui apud Hispanos etiam Camera dicitur, in quam rediguntur omnes reditus & Gabellæ, quæ in compendium veniunt reipublicæ. Tholoz. *lib.* 31. *c.* 31. *n.* 3.

III.

Qui fisco præsunt, dicuntur fiscales, quod officium inventum est Hadriani Imperatoris, uti hoc apparet ex Spartiano in eo *pag.* 10. officium sane gravissimum. Ab initio res fisci tractarunt procuratores Cæsaris, & eligebantur fisci patroni ex collegio Advocatorum, *l.* 8. *&* 10. *C. de Adv. diver. judicior.* cumque ad hoc munus assumerentur viri, qui & literis & meritis pollebant, quocirca & variis titulis condecorabantur & prærogativis, quæ non nisi magnis dignitatibus concedi solebant, inter quas non minima hæc est, quod Kalend. Jan. strenas à manu principis accipiebant, ad quem honorem tantum admittebantur Sacri Consistorii Comites, imo poterat patronus fisci duos homines singulis annis Imperatori offerre, qui ejus essent domestici & præsentiales, & principis purpuram adorarent. *l.* 1. *C. de domest.* Cui muneri etiam præfuit maximus JC^tus^ Papinianus. Spartian. *in Caracall.* Hodie non ubique eadem ipsorum est autoritas. In Hispania, ubi duo sunt, alter in causis civilibus, alter in criminalibus, perpetua est ea dignitas, eoque jure fiscalis est formalis pars in defendendâ autoritate & juribus regiæ majestatis & JC^tionis^, non solum in supremo senatu, sed etiam in aliis Audientiis. Quis ergo dubitabit

bit an advocatura fiſci ſit dignitas? nonne à Principe cùm conſultatione procerum ad hoc munus promoventur? nonne promoti hoc modo oſculantur ejus manum? nonne ſedem æqualem habent cum ipſis conſiliariis? Videantur Briſſon. *lib 3. antiq. cap.* 21. Garcia. *de nobilit. gloſ.* 3. *n.* 17.

IV.

Jura fiſci varia ac diverſimoda ſunt, quædam, juris proprii quadantenus ſicut ſingulorum, ut agri, paſcua, nemora, vivaria, ſylvæ, aliique rerum quaſi propriarum proventus, ſub nomine domaniorum, vulgò **De Domainen** nota, item gabellæ, vectigalia, tributa, portoria, oblationes, donativa, bona vacantia, confiſcationes, mulctæ, quorum quædam extra ordinem exiguntur, quædam ex delictis proveniunt, & propria jura fiſci dicuntur, nihil autem refert, an ipſum principem, an obventiones fiſcales nomine fiſci intelligamus. Et quamvis hodie nonnulla fiſci compendia quaſi minoris momenti aulicis heredipetis nonnullibi indies tribui ſoleant, veterum tamen principum frugalior adminiſtratio, bona fiſco debita, peti prohibuit, & niſi princeps motu proprio largiretur, Scriptura à ſecretariis non conficiebatur *l.* 1. *& ult. C. de pet. bon. ſubl.* unde & Paponius *de arreſt. Galliæ* dicit, regem triplicium rerum petitoribus os obturaſſe, confiſcationum, albinatuum, & obventionum, *referente* Chriſtinæo.

V.

Bona ſe occidentis fiſcus capit, & quidem ſi tædio vitæ, vel dolore, vel morbo, vel ob aliam cauſam ſibi violentas manus intulerit, tunc hæredem habere poteſt *l.* 6. *§. ejus qui. l.* 7. *D. de inj. rupt. irr.* Si vero conſcientiâ criminis ex metu pœnæ ſe occidit, in fiſcum bona transferuntur, *l. fin. in pr. D. de bon. eor. qui ant. ſent.* Si modo

crimen

crimen sit publicum, & memoriam Autocheiri damnet; nemo enim membra sua perdere aut prodigere potest nisi pro republicâ, ita ut olim non licuerit membrum præbere amputandum, nisi causâ à magistratu cognitâ, & auditis consanguineis, quod prudentiores chirurgi etiamnum exigunt; Moribus multarum cordatarum gentium indistinctè, quomodocunque se occidat, amissio bonorum inducitur, nam desperatio est odiosissimum peccatum, quod aufert Deo pulcherrimum, nimirum misericordiam, & ob id jure Canonico talibus denegatur sepultura Ecclesiastica, nolo tamen in ejusmodi deplorandis casibus me temerè ingerere Dei occultis decretis, ejusque abscondito *judicio*. Videatur Grotius *de I.B. & P.*

V.

Quamvis fiscus inter creditores habeat jus prælationis, *tot. tit. C. de priv. fisc. l. aufertur* 46. §. *fiscus. D. de jur. fisc. & semper* reperiatur privilegiatus *arg. l.* 1. § *in causa. de quæstion.* Si tamen quis à judice condemnatus fuerit, ut certam pœnam fisco pendat, quam is postea vendicare intendit, si condemnatus habuerit creditores, prælationem non habebit. *l.* 11. 17. 22. 37. 42. *D. de Iur. fisc.* Peregr. *l.* 4. *tit.* 8. *n.* 12. Sixtin. *de regal. l.* 2. *c.* 8. *n.* 85. Alsar. *de off. fiscal. gl.* 16. *n.* 117. Quia fiscus agit de lucro captando, creditores de damno vitando, quorum non par vel eadem est ratio, idcirco etiam judex non committit delictum, si in dubiis causis facile contra fiscum judicaverit. *l. non puto.* 10. *D. h. tit.* nec ego metuo censuram, si dixero fiscum in omnibus causis hypothecam non habere. Videantur Donell. *de pign. c.* 5. Sanchez. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 4. *n.* 9. *per l. rescriptum* 10. *D. de pact.* quia publicatio bonorum ita accipienda est, ut æs alienum deducatur, *l. mulier.* 72. *D. de jur. dot.* non ergo idem jus habet in pœnalibus, quod in debito principali. Et hoc videtur

tur esse praxis ferè orbis totius Europæi, quamvis jure Hispanico mutatum putet Alfar. cui tamen alii JC[ti] Hispani contradicunt.

VII.

Insignis est difficultas an fiscus præferatur filiis condemnatorum in pœnis parentibus inflictis? Quod negandum puto *per l. 7. in pr. D. de bon. damnat.* ne alieno admisso aliquis pœnâ afficiatur, quod fieret si filii defraudarentur debitis suis bonis, quorum quasi domini sunt, *l. nam etsi parentibus. D. de in off. test.* imo filius creditor censetur in bonis paternis *l. unic. in pr. de imp. lucr. descript.* Chiflet. *de port. legit.* Et hoc verissimum est de jure regio Hispanico, quo constitutum, legitimam filiorum minimè confiscari, ex parentum delictis, nisi expressâ lege confiscatio inducatur in expressis delictis. Dubium autem esse potest, quæ delicta inducant confiscationem contra filios? De crimine hæreseos, proditionis, perduellionis & læsæ majestatis indubitatum est jus *in l. quisquis § Filii. C. ad l. Jul. maj. Filii*, inquit lex, *eorum, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur) à materna vel avita omnium etiam proximiorum hæreditate ac successione habeantur alieni, ex testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos unquam honores, ad nulla prorsus sacramenta perveniant; sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordescentibus, sit & mors solatium & vita supplicium*; dispositio notabilis, quã tamen Joan. Igneus *in l. fin. n. 44. D. de SC[t]. Sill.* & alii relati à Farinacio. *4. part. crimin. q. 116. n. 143.* odiosam, sanguinariam, injuriosam, iniquam, & contra naturalem æquitatem juris divini & humani, compositam esse censent. An idem obtineat in crimine Sodomiæ,

miæ, ſcrupulo non caret; eſt quidem crimen turpiſſimum & nefandum, imo ex diſpoſitione Hiſpanica cum enarratis criminibus parificatum, contrarium tamen æquius eſt. Nec ubique idem modus confiſcandi ſervatur, alicubi bona tantum mobilia, alicubi & immobilia confiſcantur. In Gallia, Burgundia, & quibuſdam Belgii locis hæc parœmia practicatur, *Qui confiſque le corps, confiſque les biens*, non ubique tamen hæc in uſu eſt, niſi in ſupradictis atrocioribus criminibus. Bona illius, qui committit crimen læſæ majeſtatis, diximus confiſcari, an etiam illa bona, quæ reus extra territorium læſi poſſidet, confiſcationi ſubſint, diſputatum fuit in Galliâ, cum Rex Ludovicus XIII. Marchionem Ancreum, primum regni miniſtrum occidere juſſit, qui ingentes opes apud Venetos, Genuenſes & alibi habebat.

VIII.

Hæredes ex crimine defuncti non tenentur, niſi vivo delinquente condemnatio interceſſerit, quoniam crimina morte extinguuntur, idcirco omnes pœnæ ceſſant. *l. 3. l. 6. D. de publ. judic. l. 1. D. de priv. delict.* Medices in tract. *Mors omnia ſolvit part. 2. concluſ.* 32. Quia, qui moriuntur, videntur quaſi ad ſuperius tribunal adduci, & ſic ad judicium divinum adducti, debuerunt judicio humano ſubtrahi, cum inter mortuos & vivos nullum ſit commercium, & ab animabus à corporibus ſeparatis omnino aliena ſit converſatio, Del Rio *diſquiſit. magicar. lib. 2. quæſt. 26. ſect. 1.*

IX.

Fiſcus ſuccedit in bona vacantia, quæ omni domino, omni jure vacua ſunt, & ab omni ſpe aditionis aliena. *l. 2. § fin. D. ad SCtum Tertull.* Anton. Fab. *l. 17. conj. cap.* 2. Cabedo 2. *part. deciſ.* 50. Borell. *de præſtant. Regis. cap.* 14. *tot.* Quia Principum perſona debet poſt omnes eſſe, Caſſiod. *lib. 6. Epiſt.* 8. ne fiſci ſui videantur habere rationem;

Hoc

Hoc autem difficultate non caret, quando fiſcus ſuccedit in bona vacantia an ſuccedat jure hæredis, an jure ſuperioritatis? poſterius affirmo, in tantum, ut nec inventarium bonorum vacantium teneatur conficere, quia non conveniri poteſt tanquam hæres, ſed tanquam poſſeſſor, & obligatio non deſcendit ex perſona, ſed ex bonis. Fiſcus ergo eſt poſt omnes, poſt maritum in bonis uxoris, poſt uxorem in bonis mariti, non tamen poſt affines, quoniam jure affinitatis ſucceſſio non eſt, *l. affinitatis.7.C.commun. de ſucc.* nec poſt pupillorum tutores, *l.1.C unde vir & uxor.* nec poſt civitates. *l.1.C. de bon.vac.* Et ita occupat bona vacantia, ut nullum jus privatis eorum vindicandorum competat. in quo doctiſſimus Bodin. *l.1.c.18. de republ.* lapſus eſt inſigniter, aſſerens jure Romano unicuiq; licuiſſe occupare bona vacantia. Sunt & alia bona, quæ domino carent, & oberrant ſine ſcientiâ vel voluntate dominorum, quæ Hiſpanicè dicuntur *Moſtrencos.* Vid. Covarr. *in c.peccatum 3.p.* §.1.*n.3.* De facto Philippi III. Regis Hiſpaniarum, qui coëgit anno 1610. omnes deſcendentes ex genere Maurorum in Africam, & confines provincias demigrare, prædiis eorum fiſco applicatis, aliis judicandum relinquo: pro felici iſta expulſio celebrata eſt. Jaime Bleda *de los Moros de Eſpana l.8.* Marquez *del governador.l.1.c.2.ad fin.* Nullus tamen dubito, quin propter innatum amorem patriæ migrantes exclamaverint.

O Lycida
Quod nunquam veriti ſumus, ut poſſeſſor agelli
Diceret, hæc mea ſunt, veteres migrate Coloni.

Rationes fiſcales qui examinant, diſcuſſores nominantur, dicuntur & taxatores, quia taxant patrimonia provincialium, quorum uſus adhuc in Hiſpania viget, ad facultates vicinorum æſtimandas, ut ſolvatur tributum,

quod

quod vocatur *servicio Real*, & quoniam missi in provincias, graviter vexabant pauperiores, leges, ut eorum rapacitati & avaritiæ obviam iretur, provincialibus variè prospexerunt. Si enim apocha, quæ & securitas dicitur, nobis quietantia amissa esset, nec offerretur ad revisionem, quam sæpe petere solebant, sufficiebat liber rationum publicarum, dictus *Polyptychus*, quem tenebantur exhibere ad fundandam exceptionem reorum *l. non est novum. l. fin. C. de Edend. l.* 4. *C. de fid. Instrum.* nec hoc sine ratione, quia cum fiscus solutionem jam accepit, & ex libro suo certus sit, eam factam esse, iniquum foret, bis exigere, quod jam solutum est. Satis igitur est allegare apocham esse deperditam, jurejurando interposito. *arg. l.* 30. *D. de jurejur.*

X.

In executione causarum fiscalium frequenter solet insolentia exerceri à Cæsarianis, quocirca forma certa ipsis danda, sine cujus demonstratione ipsis de facto resisti potest. *l.* 1. *C. quand. lic. unic. l.* 5. *C. de Execut.* Qua ratione enim quis permittet bona sua capere ab ignoto? Nec juvat illos, quod portant insigne officii sui: Eximit quidem eos illud solitum insigne ex numero privatorum. *l.* 15. §. *Si quis virgines. D. de injur.* non tamen probat potestatem apprehendendi bona. Quare infertur, si officialis sine forma, asserat se formam habere, ad capiendum, cum tamen hoc falsum sit, & ob talem concussionem aliquid acceperit, quod talis etiam possit criminaliter puniri ob delictum. Nec capi quis potest personaliter, nisi de tali captura judex pronunciaverit, quo casu resistentem etiam offendere potest officialis. An injustè incarceratus sine metu pœnæ carcerem frangere & aufugere, custodes vulnerare & occidere possit? An idem licitum sit cognatis, vicinis, amicis, & extraneis? non incongrue hic disputaretur, sed quoniam hæ quæstiones

in

in praxi ab utraque parte multa incommoda post se trahunt, à determinatione earum ad aliquod contradictionis membrum hac vice me retineo.

COROLLARIA.

Ex Jure Militari.

1. *Victor occupans bello principis alicujus hostis territorium, obligatus est ad onera, quibus obligabatur victus.*

2. *Princeps per* factum *sui Ducis obligatur.*

3. *Vnus ex confœderatis absque alterius consensu pacem cum hoste inire, & efficaciter concludere potest.*

4. *Conventio de pretio redemptionis, vulgò* de Rantsoen, *facta, propter status eminentiam captivi, quam stipulator ignorabat, rescindi non debet.*

5. *Iura incorporalia devictorum, e.g. nomina & actiones ad victorem transeunt, ut, credita vel exigere, vel remittere posit, ita ut tota obligatio perimatur.*

Ex Jure publico.

1. *Capitulatio Imperatoris ejusque juramentum non repugnant ipsius summo imperio, quod Gallicè eleganter exprimitur, per vocem* la Souveraineté.

2. *Princeps successor contravenire potest factis principis prædecessoris sui.*

3. *Quod imperium Germanorum adhuc hodie rectè dicatur Romanum in præsentiarum defendam.*

4. *Non videtur paci ac libertati Germaniæ prospectum contra exteros, si in electione Imperatoris recedatur à domo Austriaca.*

5. *Papam generare posse ac generasse credo, sed eum parere posse, & peperisse, non verisimile videtur.*

Alia.

1. *Venditor ad rei traditionem præcisè tenetur, nec præstando interesse liberatur,*

2. *Stipulatio est contractus juris civilis.*

3. *Stipulatio proprie est contractus.*

4. *Legitima tolli non potest.*

FINIS.